



**G**otharus ob præclaram indolē post patru-  
 Tordonis regis Sueonum mortem cōmu-  
 ni consensu rex electus est. Is primō singulari pru-  
 dentia usus, procerum & totius populi cōsilio ali-  
 quot leges fanciuit, & summa tranquillitate diu  
 uixit. Sub eo Sueones adeò fœliciter egerunt, ut  
 aureum Poetarum seculum redijsse putaref. Cū  
 autem tandem Frotho Vegetus rex Daniæ Fro-  
 gerum regem Noruegiæ Gothari ficerum astu-  
 te interfecisset, Gotharus eius mortem vindicatu-  
 rus contra Frothonem ingentē exercitum in Da-  
 niam perduxit. Prælio commisso fortuna primā  
 Danis fauit. Tum Gotharus suos cohortatus tre-  
 pidantem exercitum à fuga reuocauit, & uictoriam Danis eripiens Frotho-  
 nem interfecit. Ut autem deuictam Danicam gentem sibi benigniorem effi-  
 ceret, filium Frothonis puerum adhuc regno præfecit. Eundem quoq; con-  
 tra Saxonias principes Daniam uastantes fortiter defendit, atq; Saxones Da-  
 nis tributarios effecit. Reliqua Gothari tempora tranquilla fuerunt, ita ut ip-  
 se post longam senectutem apud Vpsalam metropolim Suetiæ in regum mo-  
 numenatis fatis præsentibus collocatus fuerit. Floruit is circa annum cre-  
 ationis mundi ter millesimum septingentesimum. Ioan, Magn,  
 lib.4, cap.7,